



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Controversia Vnica. An gratiæ vnionis & habitualis dicendæ sint absolutè
Christo naturales?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

gentiæ. *Primo itaque Caietan.* obseruat vt aliquid dicatur naturale à natura pro essentia, duo requiri. Primum est causalitas vt scilicet causetur à natura. Secundum est modus causandi vt scilicet naturaliter & non liberè causetur: & quoniam (inquit) omnis Dei causalitas ad extra libera est & nulla est naturalis; idè gratia in Christo ex diuina natura causata deficit à naturali in modo quo fit, & potest dici naturalis quo ad primum, quia ex diuina causatur natura: quo ad secundum verò potest dici naturalis non formaliter, quia verè non naturaliter, sed liberè causatur, sed quasi virtualiter seu conditionaliter; hoc est quia, si diuinæ naturæ competere ad extra modus vterque causandi, scilicet naturaliter vel liberè, vtraque gratia in Christo naturaliter causaretur; quia gratia vnionis spectat ad esse personale ipsius diuinæ naturæ; ac per hoc ad causalitatem naturalem pertineret: gratia verò habitualis in Christo spectaret ad proprietatem humanæ naturæ vnitæ iam secundum esse diuinæ naturæ; & propterea (inquit) S. D. cautè apposuit duo vocabula, videlicet potest dici & quasi proueniens, vt per hæc quasi naturalem modum significaret &c. *Deinde Medina* vtramque gratiam existimat dici posse naturalem, licet vtraque à diuina natura liberè procedat; eò quod vt dicatur naturalis satis est, vt dimanet ab aliqua natura intrinseca ipsius Christi; sicut motus animalis sursum est naturalis licet sit à principio libero scilicet à voluntate & homini naturale est discurrere tamen liberè discurret. Quam expositionem sequitur & explicat Suarez dicens, vtramque gratiam dici Christo naturalem; quia dicitur id esse alicui naturale, quod per proprias vires suæ naturæ facit; sed tamen nonnulla differentia est (inquit) inter gratiam vnionis, & habituales, quod gratia vnionis cum sit prima omnium in Christo, licet in eo sensu possit dici naturalis, quia virtute naturali diuinitatis fit; non tamen potest dici naturalis, tamquam aliquo modo debita homini Christo; quia nec debetur humanæ naturæ nec diuinæ; at gratia habitualis, quia in Christo supponit aliam scilicet gratiam vnionis, nō solum est dicto modo naturalis, sed etiam quia debetur humanitati iam vnitæ, quomodo naturales possunt dici omnes gratiæ, quæ Christum supponunt Deum & hominem constitutum.

Sed hanc expositionem impugnat Vasq. ca. 2. Primo; quia difficile videtur, quod dicunt prædicti expostores cum S. Th. gratiā vnionis dici posse naturalem, quatenus dicitur aliquid naturale alicui, quod à natura illius prouenit. *Primo;* quia licet vnio sit gratia ipsi Christo secundum naturā humanam; tamen hæc gratia non prouenit ex natura diuina, quatenus iam est coniuncta humanæ in eadem persona, sed prout secundum se consideratur ante ipsam vnionem; ergo hæc gratia non dicitur prouenire à principiis propriæ naturæ. *Secundo* quia hæc gratia prouenit liberè à natura diuina, & non naturaliter; nec refert quod ridere, qui est actus liber, dicatur esse homini naturale; quia ridere non semper liberè procedit ab homine, neque suapte natura est actus liber: quinimò posita cognitione rei ludicræ necessario sequitur risus; vnire autem ex suo genere liberum est. Deinde quia ridere nascitur à principio intrinseco rei iam constitutæ: vnire autem nascitur quidem à Deitate, quæ est natura Christi; sed non nascitur ab ea, prout iam vnita & coniuncta cum natura humana in eadem persona. *Sed hæc argumenta frivola sunt. Ad pri-*

mo enim dico vnionem duarum in Christo naturarum prouenire à diuina natura dupliciter. Vno modo effectiue; quia scilicet natura diuina sua infinita virtute assumpsit & vnuit sibi naturam humanam in vnitate personæ; & ita verum est gratiam vnionis non prouenire ab ipsa diuina natura, quatenus iam est coniuncta humanæ naturæ, nisi prout eam iam factam conseruat, sed ab ea prouenit quatenus secundum se consideratur ante vnionem. *Alio modo* prouenit eadem vnio ex diuina natura, quasi ad modum causæ formalis, quatenus scilicet diuina natura secundum hanc suam naturalem subsistentiam personalem seipsam vnuit humanæ naturæ, ipsam formaliter terminando, & suam ei subsistentiam communicando, eo ferè modo quo forma dicitur seipsam formaliter vnire materiæ; & illi seipsam & suam omnem actualitatem communicare; & hoc modo gratia vnionis ex diuina natura prouenit, non prout prius est actu coniuncta, neque prout ante coniunctionem consideratur, sed in ipsa actuali coniunctione, vel potius est ipsa actualis coniunctio: est enim quasi effectus formalis ipsius diuinæ naturæ secundum personalem Verbi subsistentiam terminantis & sustentantis seu suppositantis humanitatem; sicut etiam forma actuando & determinando materiæ potentialitatem causat formaliter sui vnionem cum illa: atque idè dicitur vnio personæ duarum naturarum in Christo prouenire ab intrinseco principio, quod est ipsa diuina natura. Et quoniam hæc vnio instantanea est; & in ea simul est fieri & factum esse, & quod est vnio etiam est vnium: idè considerando etiam diuinam naturam, prout est vnies seipsam effectiue, & sumendo actionem vniedi in esse completo, prouenit etiam hæc vnio ab ipsa essentia diuina, vt ab intrinseco principio Christi constituyente; terminus enim quo actio hæc vniuiua completur est Christus, vt supra diximus 4. *Ad secundum* quidquid sit de ridere, patet ex duobus exemplis à Med. productis, quæ sunt ascensus hominis corporeus & actus discurrendi, eos actus liberos dici posse naturales, qui per solas naturæ vires exercentur; sic verò sumptum naturale distinguitur contra supernaturale, & contra id quod ab extrinseco est. Alias quasdam interpretationes refert Vasq. & impugnat: sed quia non sunt ad mentem D. Thearum defensionem relinquimus ijs, quibus placuerint.

Quarto circa tertiam concl. lege, quæ notat sapienter ac eruditè Cai. & quæ scribit Suar. in suo com. ad hunc a.

CONTRouERSIA VNICA.

An gratia vnionis & habitualis dicende sint absolute Christo naturales?

CAJETAN. attendens modum loquendi S. D. in textu, negat gratiam vnionis aut habituales esse vel dici posse propriè & absolute naturalem: quæ fuit sententia Durandi in 3. distinct. 4. q. 3. & Ricardi dist. 3. a. 3. q. 2. Quam etiam sequitur Suar. dicens, neutram gratiam dici posse simpliciter & absolute naturalem; quia non est pertinet ad ordinem naturæ; sed relatiue seu respectu Christi dici posse vtramque gratiam esse illi naturalem. Eandem Caietani sententiam sequitur Rada controu. 4. a. 5. *Sed* vtramque gratiam dici posse simpliciter naturalem affirmant Med. Porrecta & Aluar. super hoc a. Et in eandem sententiam inclinat Val. Vasq. vtræque sententiæ cū doctrinæ.

doctrina D. Thomae reiecta, ait controuersiam hanc inter Scholasticos ortam esse ex dicto D. Augustini in *Enchirid. c. 4. tit. in arg. sed contra*. D. autem Augustinum ibi dixisse gratiam homini Christo fuisse naturalem in eo sensu, in quo alij Patres dixerunt vnionem duarum naturarum in Christo esse naturalem, hoc est duarum naturarum inter se secundum suum esse naturale & reale, ita ut denotarent Deum vnitum esse humanitati, non secundum dignitatem & affectum, sed secundum esse reale & naturale suum.

Resolutio.
Distingui-
tur ex
plicatur
multiplex
sensus ter-
minorum
quæ sit.

PRÆCIPVA huius controuersie difficul-
tas in huius vocis *naturale* siue *naturalis* ambi-
guitate posita est; eius itaque multiplices signifi-
cationes primò distinguemus. Deinde propo-
sitis conclusionibus sententiam nostram aperie-
mus.

PRIMA DISTINCTIO sit: Naturale dupliciter dici-
tur: Vno modo prout idem est quod reale & phy-
sicum distinctum contra ens imaginarium vel
rationis, aut etiam contra morale ut alibi nota-
uimus & hic etiam aduertit Vasq. alio modo pro-
ut significat id, quod habet coarum cum aliquo
connexionem ex aliqua causa: quod dupli-
citer dicitur ut ait S. D. in textu: Vno modo
quod est causatum ex principiis essentialibus
re: alio modo dicitur aliquid esse naturale quod
rei conuenit à principio suæ generationis. Rur-
sus naturale primo modo dicitur dupliciter: v-
no modo id quod per ipsa principia naturalia con-
stituitur, sicut si dicamus naturalem esse homini
vnionem ex anima & corpore, esse animal & esse
rationale: & hæc minus propriè dicuntur natu-
ralia: verè namque & propriè hæc ad ipsam ho-
minis naturam & essentiam pertinent: alio modo
dicitur naturale quod consequitur ex principiis
essentialibus rei, & ad ipsam essentiam minimè
pertinet, sicut ferri fursum est igni naturale.
Præterea naturale quod rei conuenit à principio
generationis dupliciter dicitur, ut supra notaui-
mus ex Caietano: vno modo quod præcisè est al-
teri coarum: alio modo quod inest alteri ex vi
natiuitatis. Secunda distinctio principalis est: Natu-
rale dicitur dupliciter: vno modo absolute quod
scilicet constituit ordinem naturalem, qui di-
stinguitur contra ordinem supernaturalem: alio
modo comparatiuè ad talem rem & hoc modo al-
iquid ordinis supernaturalis potest dici natu-
rale alteri eiusdem ordinis: exempli gratia, videre
est naturale beato habenti lumen gloriæ & diui-
nam essentiam, ut speciem intelligibilem. Rursus
naturale absolute, id est pertinens ad ordinem
naturalem duplex est: quoddam enim dicitur
naturale, quia vel est intrinsecum naturæ rei, vel
eam necessariò sequitur: quoddam autem dicitur
naturale, quia est ex solis naturæ viribus, etiam si
liberè fiat, ut hominis ambulatio & discursus; &
hic modus naturalis distinguitur contra super-
naturale. Tertia distinctio principalis. Naturale du-
pliciter dicitur. Vno modo formaliter & secun-
dum se: alio modo ratione termini consequen-
tis, aut per ipsum constituti, ut infra declarabi-
tur ex D. Th. in 3. sent. Quarta distinctio est: De gra-
tia siue vnionis siue habituali tripliciter loqui
possumus. Primò per comparisonem ad huma-
nitatem. Secundò per comparisonem ad diuini-
tatem. Tertiò per comparisonem ad Christum
secundum se totum. Quinta distinctio est: In conce-
ptione Christi duplex est actio: altera producti-
ua humanitatis, & altera assumptiua siue vnitiua
eius ad personam Verbi. Prima distinctio: gratiam
vnionis aut habitualement dici Christo naturalem
absolute potest intelligi dupliciter: Vno modo

prout absolute distinguitur contra comparati-
uè: Alio modo prout idem est quod sine addito.
Quibus præmissis ad quæsitum respondeo de-
cem conclusionibus.

PRIMA CONCL. Gratia vnionis aut habitualis conclusiua,
non potest dici formaliter siue secundum se aut absolu-
tè naturalis, prout absolute naturale distinguitur con-
tra naturale comparatiuè ad Christum. Probatur;
Quoniam illud in hoc sensu est absolute & for-
maliter naturale, quod pertinet ad ordinem natu-
ralem distinctum contra ordinem supernatu-
ralem: at gratia prædicta non pertinet ad or-
dinem naturalem, sed ad supernaturalem; ergò.

SECUNDA CONCL. Vtrique gratia, & præse-
rim vnionis potest appellari naturalis, id est realis &
physica, & non imaginaria vel rationis. Hæc patet ex
dictis. Vbi aduertit D. Augustinum in *Enchiridio*
ad Laurentium, cap. 40. non loqui secundum sen-
sum huius conclusionis: cum ait, in naturæ hu-
manæ susceptione factam fuisse quodammodo i-
psam gratiam illi homini naturalem, sed in sen-
su sequentis conclusionis; quare Vasq. ca. 2. vio-
lenter & contra mentem Augustini verba illa ad
hunc sensum pertrahit. Nec verba e. 41. Vasq. fa-
uent; sed eius interpretationem perspicue falsam
esse conuincunt. Cum enim subdit Augustinus:
Dei quoque gratia Verbo Patris vnigenito; non gratia
filio, sed natura, in vnitate personæ modo mirabili,
& ineffabili adiunctus, atque concretus, nimirum ho-
mo, id est humana natura, non significat ut expo-
nit Vasq. hominem fuisse coniunctum filio Dei,
non gratia participata sed natura; quamquam &
hoc verum sit; sed significat hominem in vnitate
personæ Patris vnigenito fuisse coniunctum Dei
gratia: & hanc gratiam non esse gratiam filio, sed
naturam; quia gratia Dei essentialiter est ipsa Dei
natura. Alia verò dicta Patrum à Vasq. relata de-
seruiunt huic probandæ conclusioni.

TERTIA CONCL. Vtrique gratia potest dici
naturalis humanitati, quatenus illi conuenit à principio
sue generationis. Hæc est S. D. in textu.

QUARTA CONCL. Neutra gratia potest dici
naturalis, ut causata ex principiis humanitatis. Hæc
patet ex se.

QUINTA CONCL. Neutra gratia est Christo
naturalis ex vi conceptionis, quia ratione conceptio est
effectiua præcisè humanitatis, nisi tantum concomi-
tante. Prima pars probatur; quia aliàs puræ hu-
manitati formatæ à Spiritu sancto, & ex B. Virgine
ut sic formatæ & effectiue deberetur vnio ex
vi talis actionis, quod est absurdum, ut patet ex
a. 1. 1. q. Secunda verò pars probatur; quoniam ac-
tio productiua humanitatis fuit simul in eo-
dem instanti temporis cum actione vnitiua eius
cum Verbo.

SEXTA CONCLVS. Vtrique gratia dici potest
Christo naturalis ex vi conceptionis totaliter sumptæ;
quatenus scilicet vtrique in se claudit actionem, scili-
cet effectiua humanitatis & vnitiua eius cum Ver-
bo: & hæc est S. D. ad 3. quam probat & explicat
Cai. & alij expositores post eum.

SEPTIMA CONCLVS. Vtrique gratia potest dici
Christo naturalis, ut proueniens in humanam natu-
ram causante illam diuinam Christi naturam sua virtute
naturalis, sed liberè. Hæc est S. D. in textu.

OCTAVA CONCL. Gratia vnionis potest dici
Christo naturalis, id est, intrinseca & substantialis.
Hanc concl. statuunt hic Med. & Valentia; & pro-
batur; quia Christus consideratus, non ratione v-
nius tantum naturæ diuinæ, vel humanæ, sed to-
taliter & adæquate, ut Christus formaliter est
quædam res composita, quæ intrinsece constat
ex duabus dictis naturis inuicem vnitis; ergò in-
trin-

Vasq. inter-
pretatio re-
ijciatur.

secē naturalis est illi harum naturarum vnio. Antecedens patet ex dictis in a. 4. huius q. Conseq. autem est euident.

„ **NONA CONCL.** Gratia vnionis dicitur Christo naturalis, quantum ad effectum, quod est esse filium Dei naturalem. Hæc est D. Th. in 3. dist. 4. q. 3. a. 2. q. 1. Et probatur ibidem; quoniam nec gratia ordinatur ad vnionem in persona diuina, secundum quam vnionem ille homo dicitur naturalis filius Patris. Et hanc conclusionem intendit iudicio meo D. Augustin. loco supra notato, si verba dictorum capitulum sincerē & attentē considerentur.

„ **VLTIMA CONCL.** Vtraque gratia potest dici simpliciter, id est absque addito esse Christo naturalis. Probatur hæc ex 4. 6. 7. 8. & 9. conclusionibus. Et confirmatur; quia cum dico; Gratia vnionis est Christo naturalis, dictio illa Christo facit sensum comparatum; ita vt non significetur gratiam vnionis aut habitualem esse secundum se ordinis naturalis; sed gratiam vnionis esse tali composito, scilicet Christo Deo & homini naturalem, id est intrinsecam & substantialem; gratiam verò habitualem eidem ex proprijs viribus conuenire; quia causatur ab vna eius intrinseca natura, scilicet essentia diuina in humanitate, quasi ad modum naturalis proprietatis, vt ait S. D. in 3. loco notato, & inf. q. 7. a. 13. Vbi latē dictum hoc examinabitur.

Argumenta, & solutio
CONTRA septimam concl. sunt arg. Vasq. supra relata & soluta.

CONTRA vltimam sunt argumenta, quæ profert & soluit Aluar. in expositione presentis articuli; in quibus etiam est ratio Cai. ex modo loquendi D. Th. desumpta: cui planē satisficit dicendo, verba illa potest dici, & dictionem illam quasi non habere vim diminuendi; sed exprimendi gratiæ tam vnionis quam habitualis connaturalitatem iuxta illud Ioan. 1. Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre, vt hic aduertit Magister Porrecta, & post eum Aluarez. Quomodo etiam accipienda est dictio illa quodammodo in verbis Augustini relatis in argumento sed contra.

QVAESTIO TERTIA.

De modo vnionis ex parte personæ assumptis, in octo articulos diuisa.

Deinde considerandum est de vnione ex parte personæ assumptis.

Et circa hoc queruntur octo.

Primo, vtum assumere conueniat personæ diuinæ.

Secundo, vtum conueniat naturæ diuinæ.

Tertio, vtum natura possit assumere abstracta personaliitate.

Quarto, vtum vna persona possit assumere sine alia.

Quinto, vtum qualibet persona possit assumere.

Sexto, vtum plures persona possint assumere vnam numero naturam.

Septimo, vtum vna persona possit assumere duas numero naturas.

Octauo, vtum magis fuerit conueniens de persona filij Dei, quod assumpserit humanam naturam, quam de alia persona diuinæ.

Ratio ordinis.

Absoluta vnionis seu Incarnationis essentia quasi in communi, nunc incipit de eius ratione & modo tractare magis in particulari, &

primò quidem ex parte personæ assumptis in presenti quaest. Deinde verò ex parte assumptæ naturæ in quaestione sequenti. Duæ sunt autem huius quaestionis partes præcipuæ: Prior est de modo vnionis huius mysterij prout actu factum est; altera est de modis eiusdem mysterij possibilibus. Prioris tres sunt partes: in prima agitur de assumptione seu vnione personæ diuinæ indistincte sumptæ in primo art. secunda agit de vnione naturæ diuinæ in secundo art. Tertia de assumptione, seu vnione personæ filij in octauo art. Posterior verò pars in duas diuiditur: in prima tractatur de potestate naturæ diuinæ in ordine ad assumptionem in tertio art. In secunda verò agitur de potestate personæ respectu dictæ assumptionis, & primò tractat quaestionem de possibili necessariò connexam quaestioni & veritati Incarnationis, prout actu facta est, quærens in ar. 4. Vtrum vna persona possit assumere sine alia: nam si non posset, consequens esset, omnes personas actu fuisse Incarnatas; quod est falsum. Deinde proponit alia tria quæsitæ de possibili ad maiorem explicationem huius mysterij: & primò quo ad singulas personas, siue simul siue separatim sumptas in ordine ad assumptionem creatæ naturæ, siue sit vna siue plures, in art. 5. Deinde quo ad omnes simul sumptas in ordine ad vnam numero naturam, in 6. art. Tertiò, quo ad vnam tantum personam in ordine ad plures naturas: in quibus vt patet à communioribus & minus distinctis ad minus communia & magis distincta proceditur.

ARTICVLVS I.

Vtrum persona diuina conueniat assumere naturam creatam.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod persona diuina non conueniat assumere naturam creatam. Persona enim diuina significat aliquid maxime perfectum. Perfectum autem est, cui non potest fieri additio. Cum igitur assumere sit quasi ad se sumere: ita quod assumptum addatur assumpti, videtur, quod persona diuina non conueniat assumere naturam creatam.

Præterea, illud, ad quod aliquid assumitur, communicatur quodammodo ei, quod in ipsum assumitur: sicut dignitas communicatur ei, qui in dignitatem assumitur. Sed de ratione personæ est, quod sit incommunicabilis: vt in prima parte dictum est. Ergo persona diuina non conuenit assumere, quod est ad se sumere.

Præterea, Persona constituitur per naturam. Sed inconueniens est, quod constitutum assumat constituens: quia effectus non agit in suam causam. Ergo persona non conuenit assumere naturam.

Esed contra est, quod Aug. dicit de Fide ad Petrum: Formam, id est naturam, serui in suam accepit Deus ille, scilicet Vnigenitus, personam. Sed Deus vnigenitus est persona. Ergo persona competit accipere naturam, quod est assumere.

Respondendo dicendum, quod in verbo Assumptionis duo importantur, videlicet principium actus, & terminus: dicitur enim assumere, quasi ad se sumere. Huius autem sumptionis persona est, & principium, & terminus. Principium quidem, quia persona propriè competit agere: huiusmodi autem sumptio carnis per actionem diuinam facta est. Similiter etiam persona est huius sumptionis terminus: quia, sicut supra dictum est: Vnio facta est in persona non in natura. Et sic patet, quod propriè competit persona, assumere naturam.

Ad pri-